

ARTIC. II.

An sit relationum proprium suscipere magis, & minus?

**1. Senten.** **P**RIMA sententia est aliquorum asserentium relatione in se, & formaliter, suscipere magis, & minus, vere, ac proprie per additione, aut deperditione nouæ partis in ordine ad eundem terminum: licet id non sit de omni relatione dicendum. Et præter Phylosophi autoritatē in hoc cap. dicentis relatione suscipere magis, aut minus; & exemplificantis in simili, & dissimili; æquali; & inæquali; probatur.

**1. Argum.** Primo, id, quod in proprio genere latitudinē habet; secundū quā dicitur magis, vel minus; tale suscipit magis, & minus: sed relatio intra essentiam relationis habet latitudinem, secundum quam dicitur magis vel minus relatio: vt patet de similitudine vnus albi ad aliud, secundū quā dicitur illi magis, vel minus simile: vt ex communi loquentium vsu apparet: ergo, &c.

**2. Argum.** Secūdo, dissimilitudo, & inæqualitas secundū se magis, & minus suscipiunt: ergo. Probo antecedēs albū, vt quatuor, magis simile est albo, vt quinque; quā albū, vt duo: & albū, vt duo; si fiat vt tria; magis illi assimilatur: similiter, granū tritici inæqualius est monti, quam arbor procera, & alta: ergo tales relationes saltem proprie magis, & minus secundum se suscipiunt.

**2. Senten. Doctoris.** Secūda sententia est Doct. q. præcedēte prope finē asserentis tantū per accidens ratione fundamenti relationem magis, & minus suscipere.

**1. Nota.** Pro cuius intelligētia notandū primo. Relationū quāsdā esse, quarū, & si fundamenta remota variari possint aut secundū magis & minus; aut secundū maius, vel minus: fundamenta tamē proxima in indiuisibili cōsistunt; atque vniuerso, & inuariabili modo se habent: vt quæ in vnitatem essentia; quātitatis; & qualitatis fundantur: vnitatem etenim; ita in indiuisibili consistit; vt ex quouis excessu, vel deffectu cuiusque extremi dissoluitur. Aliæ sunt relationes, quarum fundamenta, etiam proxima, latitudinem habent, secundum quam possunt mutari, & variari: huiusmodi sunt, quæ in excessu; aut deffectu; siue diuersitate; fundantur: vt dissimilitudo, & inæqualitas: quia ab indiuisibili vnitatem deffecere latitudinem habet; secundum quam magis vnum discrepat ab alio, quam alterum; & magis ad vnitatem accedunt; vel ab ea recedunt.

**2. Nota.** Secundo notandū: suscipere magis & minus sumi; aut proprie, pro eo, quod est intendi, vel remitti eandem numero formam secundum gradualementem intensiōem; quo pacto in qualitate reperitur: aut improprie, pro qualibet variatione, secundum maiorem, vel minorem excessum secundum ordinem aut loci, aut perfectionis; vel secundum quod vnū magis vel minus distat ab alio, aut secundum locum; aut vt à sui generis perfectissimo.

**1. Conclus.** Dicendū primo, nulla relatio in se, & forma

liter sumpta suscipit proprie magis, aut minus. Hæc est Doctoris vt supra: & probatur primo, ab ipso: si relatio susciperet magis, & minus proprie; ad relationem esset per se motus physicus: & ipsa esset forma diuisibilis, habens partē post partem: consequens est contra Arist. 5. physicorum cap. 4. ergo, &c.

Secūdo probatur: quia tūc relatiū dictū secundū magis per se referretur ad duo; scilicet ad aliquid dictū secundū minus, secundū eandē formā; & præter hoc ad illud, ad quod tale relatiū dicitur: v. g. similius diceretur per se ad minus simile, & ad aliud simile: vt albus ad minus albū, & ad aliud album: atque adeo bis referretur: id est, ad duo; contra Arist. 5. Metaph. com. 20. ergo.

Tertio, probat Valera art. 4. q. 2. relatio in se, & in proprio genere relationis, non habet latitudinē graduum intensiōem: ergo in se non potest suscipere magis, aut minus: antecedens probatur: quia inter gradus intensiōis est per se subordnatio, & propria compositio, & vnio per propria indiuisibilia: sed hæc non reperiuntur in relatione: quia vna non per se supponit alteram; vel ab illa pendet; nec omnes sunt eiusdem rationis; nec effectum formalem eiusdem omnino rationis habent: diuersum enim effectum formalem habent dissimilitudo inter album vt quatuor, & vt octo; & dissimilitudo inter album, vt quinque, & vt octo: quod in intensiōe non reperitur.

Quarto, quænis relatio in se, & ex propria ratione, in indiuisibili consistit in ordine ad terminum; ergo ex se non habet latitudinem intensiōem. Antecedens probatur de relationibus, quæ in vnitatem fundantur: nam talis vnitatem consistit in indiuisibilitate vt si quantitas non sit tam extensa, & qualitas tam intensa in vno, ac in alio subiecto; iam talia subiecta non habent vnitatem in quantitate, aut qualitate; sed diuersitatem: ergo nec relationem æqualitatis, aut similitudinis habent; sed inæqualitatis, aut dissimilitudinis: quia variatur fundamentum, & terminus: nempe vnitatem in diuersitatem. Ergo tales relationes in indiuisibili consistunt.

Quinto, relatio pendet intrinsece à fundamento, & termino: ergo destructo fundamento proximo, & termino formali, destruitur relatio: sed quoties vna quantitas, aut qualitas, fit maior, aut minor, non est eadem diuersitas; sed maior, aut minor: ergo non manet idem fundamentum, & terminus: diuersitas enim, quæ in vno extremo est fundamentum, in alio est ratio formalis terminandi; seu conditio necessaria: sicut de vnitatem dicitur.

Vel sic: fundamentum proximum inæqualitatis est absoluta proportio inter ipsas quantitates: vt inter pedalem, & bipedalem: sed eo ipso, quod quantitas bipedalis tripedalis efficitur: proportio præexistens perit; & etiam terminus formalis: quia terminus formalis inter pedalem, & bipedalem erat quantitas bipedalis; vt tanta; id est, vt negationem maioris excessus includebat; & similiter. si pedalis bipedalis efficitur; inæqualitas præexistens corrumpitur: & resultat æqualitas: ergo relatio illa non intenditur: & sic de reliquis est dicendum.

Dicen.

**2. Conclus.** Dicendum secundo. Relationes, quarum fundamenta proxima in indiuisibili consistunt; nec ratione fundamenti possunt magis aut minus suscipere vilo modo: tales sunt relationes identitatis; similitudinis; æqualitatis, dupli, subdupli, & paternitatis, & filiationis. Patet: quia fundamento, & termino inuariabiliter se habentibus, nequit intelligi variatio ex parte illorum: ergo.

**3. Conclus.** Dicendum tertio. Relationes, quarum fundamenta proxima latitudinem habent possunt suscipere magis, & minus ratione fundamenti; improprie tamen, ac per accidens: sic communiter Scoti scilicet cum Doct. quæst. præcedente.

Prima pars probatur, & explicatur: dupliciter namque intelligi potest; primo, quod tantum intenditur; quantum fundamentum intenditur; & tantum remittitur, quantum illud remittitur: & hic sensus profus est falsus, nec eum Doctor intendit. Tūc quando fundamentum est quantitas, ipsa non intenditur; & tamen dicitur aliquid magis, vel minus quale. Tūc etiam, dum fundamentum intenditur, fit fundamentum intendi, non autem relationem, nec per se, nec per accidens: vt dum duo alba, vt quatuor, sunt vt octo; non est maior similitudo, quam quæ erat antea: imo interdum contingit, fundamentum intendi; relationem vero remitti: vt cum ex duobus albis, vt quatuor, alterum intenditur; sunt minus similia: aut vice versa, fundamentum remitti; relationem intendi: vt cum ex duobus albis, vnum, vt quatuor, alterum, vt sex; hoc fit vt quinque; sunt magis similia: quare hic primus sensus est falsus.

Secundus sensus est; ex quavis mutatione, aut variatione fundamenti relationem etiam variari, dicitur magis, & minus suscipere: & hic est verus: & probatur: quia si fundamentum, quod est ab vnitatem deffecere, latitudinem habet, & variatur: ergo & relationes, quæ in ipso fundantur. Vnde sicut propter maiorem vel minorem accessum ad vnitatem est maior, vel minor diuersitas: ita propter maiorem, vel minorem accessum ad æqualitatem potest esse maior vel minor inæqualitas: & idem de dissimilitudine dicitur.

Secunda pars patet: quia suscipere magis & minus, proprie est, eandem numero formam manentem fieri magis, vel minus intentam, & compositam ex gradibus simul manentibus: at in relatione longe secus se res habet: non enim eadem dissimilitudo, quæ erat minor, remanet facta maior: ita vt ex pluribus relationibus minoris, & maioris dissimilitudinis coalescat: sed dicitur intendi: quia pereunte relatione minoris dissimilitudinis, relatio maioris succedit: dicitur que remitti, & minus suscipere: cum ex aduerso se habet: ergo talis intentio, & remissio est impropria, & per accidens.

**Ad primū.** Ad argumenta: ad auctoritatem Aristotelis, respondet Doctor in textu: quod intelligitur in sensu tertie conclusionis. Ad primum nego minorem: impropria enim est loquutio vulgaris, quæ inæqualitas in extensione, & dissimilitudo in graduali intensiōe magis vel minus æqualitas, aut

similia appellat: quia magis vel minus à propria æqualitate distant: itaque argumentum nostram tertiam conclusionem probat.

Ad secundum dico: interdictas relationes esse latitudinem iuxta dicta: non tamen respectu ipsius relationis; ita vt ipsa latitudinem habeat: cum quæuis inæqualitas in indiuisibili consistat: licet enim simpliciter loquendo diuersitas, seu deffecere ab vnitatem, latitudinem habeat: proportio autem diuersitatis, aut deffectus, vt tanta, quæ fundamentum est istius inæqualitatis, & terminus, vt tantus, vt scilicet negationem maioris excessus includit, in indiuisibili consistit: & idem solum magis, & minus suscipit per accidens.

ARTIC. III.

An esse simul natura, & cognitione, sit relatiuorum proprietas in quario modo?

**E**XPEDITIS iam duabus proprietatibus præcedentibus, quæ quia alijs generibus conueniunt, dicuntur communitates, seu propria non quarto modo; restat pro hac absoluenda quæstione; vt de alijs duabus remanentibus dicamus: & quia argumenta, quæ in oppositum fieri possunt, optime in littera adducuntur: idem pro intelligentia notandum primo, aliud esse conuersionem taliud conuertibilitatem: & aliud conuertentiam. Conuersio inter propositiones reperitur: & est duarum propositionum, vnus ad alteram per extremorum transpositionem consequentia necessaria. Conuertibilitas est mutua verificatio duorum terminorum, quorum vnus infert alium: vt homo: ergo risibilis. Conuertentia vero est, quæ explicatur ordo, & habitudo relatiui ad terminum; secundum quam vnum extremum prædicatur de se ipso cum repetitione alterius extremi: vt pater est filij pater: filius est patris filius.

Secundo notandum ex Doct. in primo dist. 35. quæst. vnica littera L. quod in resultantia relationum, & relatiuorum constitutione per ipsas hæc instantia nature reperiuntur: in primo namque instanti est, A. subtractione absoluti: in secundo est, B. sub ratione absoluti habentem esse per, A. in tertio B. refertur ad, A. subtractione absoluti; si sit relatio non mutua; vel simul, A. & B. mutuo referuntur: exemplum: in primo instanti est absolutum patris: in secundo absolutum filij: in tertio filius refertur ad absolutum patris: & in quarto pater refertur ad absolutum filij. Vnde relatiua esse simul natura solum intelligitur: vel de relatiuis, prout sub relationibus considerantur; vel de vno relatiuo prout ad aliud sub ratione termini, & absoluti, refertur, quod relatiuum fundamentaliter appellatur.

Tertio notandum: quod licet in relatiuis, esse simul natura, & esse simul cognitione, ab alijs, vt dux proprietates distinetur: assignentur: nihilominus si bene intelligantur, tantum vnica constitunt: nam esse simul natura est veluti fundamentum huius, quod est esse simul cog.

D d 5

Ad secundum.

1. Notand.

2. Notand.

3. Notand.



cognitione: quia cum multas cognitionis debeat fundari in aliqua extremorum similitudine reali: ideo esse simul natura est fundamentum similitudinis cognitionis.

4. Notan.

Quarto notandum: quod licet, tam relatio, quam relatum, ut sic, possint alia cognitione cognosci: Aristoteles tamen in hac proprietate intelligit de diffinitiva cognitione explicante rationem realem relatiui ad aliud sub ratione puri termini terminatam. Vnde hæc consequentia: pater est; id est, existit; ergo filius est; hoc est, existit: non tenet, nec est necessaria, sed contingens: quia singularis existentia accidit relatiuis, quatenus referuntur: nam essentia cuiuslibet entis ab existentia abstrahit singulari: tenet autem, si, ly, est, sumatur prout ipsorum relatorum essentiam dicit.

1. Conclus.

Dicendum primo. Si relatiua sub suis relationibus sumantur, proprium est illis ad conuertentiam dici: quæ proprietatis si strictè sumatur, pro hoc, quod est dici cum implicatione alterius per modum termini importati, est proprietatis quarto modo relatiui prædicamentali: huius enim proprium est habere totum suum esse in ordine ad terminum. Si autem large sumatur, pro eo, quod est importare alterum, siue per modum termini, siue per modum obiecti, vel principij, est proprietatis relatiuorum etiam transcendentium. Probatur per omnia relatiua discurrendo: simile est similis simile: pater est filij pater: & filius patris filius: scientia est scibilis scientia: & scibile est scientiæ scibile. Et sic de alijs suo modo: dum modo conuertentia cum primario, & principali correlatiuo fiat.

2. Conclus.

Dicendum secundo. Si relatiua etiam sub relationibus suis considerentur; proprium est omnibus quarto modo esse simul natura; eo modo, quo similitudinem naturæ relatio habere postulat. Hæc quoad relatiua mutua est communis, & expressa Doct. in præsentibus, & in primo dist. 28. q. 3. S. ad quæstionem istam. Nam talia posita seponunt, & perempta sepe implicant: & implicat vnum in aliquo priori esse sine termino, à quo, dependet: ergo necessario sunt simul natura.

De relatiuis autem non mutuis probatur contra dominum Tatarum, qui in hoc capite tenet de istis duabus proprietatibus non esse propria quarto modo, & contra Patrem Valerium, & alios oppositum tuentes: posita scientia, & scibili sub sua relatione rationis, implicat non esse simul: ita ut nec scientia possit esse sine scibili; nec scibile sine scientia: quia sicut scibile est terminus relationis scientiæ, sic scientia est terminus relationis scibilis: ergo necessario sunt simul natura: ut relatiua sunt. Aduerte tamen: quod, ut relatiua non mutua simul natura dicantur; sufficit, ut relatio scientiæ non possit esse sine scibili: licet è contra relatio in scibili non resultet: & in hoc sensu similitudo realis naturæ est proprium illis: nam quando scibile actu ad scientiam referatur, potius habet similitudinem rationis.

Nota.

Dices: oppositum docet Doctor in littera, ut patet.

Respondeo: Doctorem tantum velle hanc proprietatem non æque perfecte his relatiuis co-

uenire: sicut accidit in omni proprio generico respectu specierum. Vnde, quia hæc relatiua non mutua non sunt æque perfecte simul natura: sicut sunt relatiua mutua: ideo ait: non oportet, quod sint simul natura: in quo sensu intelligitur tertium argumentum, & reliqua, quæ conficit Aristot. contra istam partem conclusionis: non enim aliud probant: quia implicat relatiuum esse sine termino; & terminum, ut terminum, esse sine relatiuo: quia relatio est essentialiter habitudo vnus ad aliud.

Dicendum tertio. Relatiua dicuntur etiam simul cognitione diffinitiva: itaque ut vnum relatiuum diffinitiuè cognoscatur; necesse est, ut eius terminus, in ratione termini, & non correlatiui, cognoscatur. Probatur ex Aristot. dicente: qui diffinitiuè nouerit vnum relatiuorum, diffinitiuè noscet & reliquum: nam secundum Doct. in quarto dist. 12. quæst. 1. littera L. diffinitio exprimit conceptum perfectum, & quietatiuum: ergo diffinitio vnus relatiui debet includere terminum: ergo relatiuum, & terminus simul cognoscuntur. Et de hac similitudine philosophandum est: sicut de similitudine naturæ diximus.

3. Conclus.

Dicendum quarto. Relatiua concipiuntur eodem actu concipiendi, quo quidem actu concipitur in recto natura vnus relatiui, & in obliquo ac secundo alterum illi correspondens: hæc est Francisci de Maironis in sua Logica passu 37. probatur: Relatiuum cognoscitur diffinitiuè, prout in se est: sed, ut sic, dicitur habitudinem ad terminum, & includit terminum in conceptu suo quietatiuo seu diffinitiuo: ergo talis cognitio diffinitiuè etiam includit terminum, saltem in obliquo: vide Leuchetum in 2. dist. 1. quæst. 5. in solutione ad Ochamum, de quo statim.

4. Conclus.

### QVÆST. III.

*Verum in diffinitione vnus relatiui necessarium sit ponere suum correlatiuum?*

*Ex his ergo manifestum est, quod si quis aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid diffinitiuè sciet, & illud, ad quod dicitur, diffinitiuè sciturus est: quoniam eorum esse, quæ sunt ad aliquid, &c. Cap. eodem.*



**VAERITVR:** verum in diffinitione vnus relatiui necessarium sit ponere suum correlatiuum? Quod non videtur: quia omne ponendum in diffinitione est prius, & notius, & genus, vel diffinitiuè.

differentia respectu diffinitiuè: sed respectu relatiui diffinitiuè, nullo istorum modorum se habet suum correlatiuum: ergo, &c. minor pater quoad duo prima membra per argumentum ad oppositum ad præcedentem quæstionem.

Item, omnis diffinitio indicat essentiam diffinitiuè: sed vnum relatiuum non est de essentia alterius: quia relatiui esse est ad aliud se habere: aliud autem dicit diuersitatem essentialem: igitur, &c.

Item, in diffinitione vnus oppositi non debet poni alterum: relatiua sunt opposita: ergo, &c. probatio maioris: tum, quia ad omnia opposita sequuntur contradictoria: & in diffinitione vnus contradictorijs non debet poni alterum: ergo nec in alijs oppositis: consequentia patet: quia ad cuius diffinitionem non pertinet consequens; nec antecedens. Tum, quia quælibet pars diffinitionis potest prædicari de eo, de quo & diffinitiuè prædicatur, per Aristot. in consideratione tertia secundi libri Topico- rum: ergo si in diffinitione vnus oppositi poneretur alterum: duo opposita prædicarentur de eodem: quod est inconueniens. Minor patet in illo capitulo: quotiens autem solet opponi: ubi Aristot. enumerat vnã speciem oppositionis, relatiuam oppositionem: & exemplificat, ut duplum, dimidium; dans intelligi, quod hoc sequitur in omnibus relatiuis.

Text. 2. &amp; 3.

In post prædicamentis

Si dicatur, maiorem esse veram tantum in alijs oppositis à relatiuis.

Contra: contraria & contradictoria sunt relatiue opposita: quia contrarium dicitur contrario contrarium: igitur si vnum contrarium non diffiniatur per alterum; non omne relatiuum diffinitiuè per suum correlatiuum.

Text. com. 13. &amp; 24.

Item, omnis differentia secundum speciem est contrarietas, secundum Aristot. in decimo Metaphy. Sed relatiue opposita differunt specie: igitur sunt contraria: igitur si maior sit vera de contrarijs; & de relatiue oppositis erit vera.

Text. com. 28.

Item, idem significat nomen, & diffinitio, per Aristot. in quarto Metaphy. sed nomen relatiui non significat suum correlatiuum: quia tunc esset nugatio, exprimendo vnum cum alio: igitur nec in diffinitione debet poni reliquum.

Item, aliqua est bona diffinitio relatiui, ubi non ponitur suum correlatiuum:

ut hæc: species est, quæ prædicatur de pluribus differentiis numero, &c. ubi non ponitur genus, ad quod dicitur species relatiue: igitur non semper oportet relatiuum diffini per suum correlatiuum.

Item, omnes rationes factæ ad præcedentem quæstionem, quæ probant vnum relatiuum posse esse sine altero, probant vnum non esse diffiniendum per alterum: nihil enim diffinitur per illud, sine quo potest esse.

Ad oppositum est Porphyrius in capitulo de specie dicens: quod genus dicitur ad speciem; & e conuerso: ideo necesse est, in vtrorumque rationibus, vtriusque vti.

Item, Aristot. hic dicit: quod impossibile est vnum relatiuum diffinitiuè cognosci; nisi cognoscatur alterum: sed quodlibet incomplexum diffinitiuè cognoscitur: cum cognoscatur per suam diffinitionem: igitur impossibile est vnum relatiuum cognosci per suam diffinitionem: nisi cognito altero: igitur vnum necessario est ponendum in diffinitione alterius.

Hoc potest concedi: quia esse essentialiter relatiui cit ad aliud se habere: diffinitio autem indicat esse essentialiter diffinitiuè: igitur diffinitio relatiui debet indicare suum esse se habere ad aliud: quod non potest, nisi in ea ponatur correlatiuum ipsius diffinitiuè: igitur, &c.

Illud autem verum est non tantum de relatiuis mutuo dependentibus: sed de quibuscunque, quæ essentialiter dependent ad alia, quod illa alia ponenda sunt in eorum diffinitione: sed non mutuo se diffiniunt, nisi quæ mutuo ad inuicem per se dependent: quod non est verum de relatiuis per accidens; neque de relatiuis tertio modo relatis: ut mensura & mensurabile: neque de relatiuis secundum genus.

Ad primam rationem: maior est vera de diffinitione, quæ datur tantummodo per essentialia: cuiusmodi est diffinitio substantiæ, vel ad minus absoluti; non respectiuè: quia enim respectiuè essentialiter mutuo dependent: ideo mutuo se diffiniunt: licet neutrum sit prius altero.

Ad secundam maior est vera tantum de diffinitione, quæ datur sine addimento, cuiusmodi non est diffinitio relati-